

dam esse respectu illorum qui, etsi majorem possideant dignitatem, nullam habent superioritatem in eum in cujus fundo versantur; adeo ut aliud statuendum sit de iis quibus aliqua in eum, in cujus territorio existunt, superioritas competit, etsi non omnimoda. Unde fit ut Episcopus Ecclesiarum quantumvis exemptarum praelatis in ipsis Ecclesiis exemptis præcedat ob reverentiam quam exempli Episcopo debent, etc. Idque ad capitulum Ecclesiæ cathedralis collegialiter incedens, seu in actibus in quibus Ecclesiam cathedralem repræsentat, plurimi extendunt quasi tunc de juribus Episcopo capiti suo competentibus participet. »

(63. Valde implicata est quæstio illa, utrum præcedentiam obtinere debeat Canonicus de tempore prior, an Canonicus major ordine. In ea enim non solum contrarii sunt inter se DD. sed et sibi oppositæ videntur ipsæ resolutiones Sac. Congregat. Rit. (64. Plures innixi textui in cap. *Statuimus*, de Majorit. et Obed. in ea sunt sententia, unum supra alterum Canonicum præcedentiam obtinere debere non ex prioritate temporis, sed ex majoritate ordinis, censentque tunc attendendam esse prioritatem temporis, cum cætera sunt paria. Ita Pignatell. *Consult. can.* tom. III, consult. 55, num. 12; Monacell. *Formul. Legal. pract.*, part. III, tit. 2, formul. 7, fer. per tot.; alique. Et in hoc ipso sensu videtur fuisse S. C. Rit. referente post alios Riccio tit. de Præcedentia, resol. 529.

(65. Contra, plures quoque constanter tenent, de præcedentiis Canonicorum statuendum esse non secundum majoritatem ordinis, sed secundum prioritatem temporis, ita ut Canonicus minor ordine, tempore autem prior præcedere debeat, ut inter alios Gratian. *discept. Forens.* cap. 106, num. 3; Vagnereck. in cap. *Statuimus*, de Major. et Obed. Nec sua caret ratione hæc opinio, ut patet ex his, quæ habet Vagnereck loco mox citato, ibi: Ex hoc textu colligit Tiraque. « dignitatem antiquitati præferendam, et majorem dignitatem præcedere debere, quando dignitas est ordinata ad illum actum, pro quo tractatur de præcedentia, secus est de actu diverso. Ideoque quia dignitas sacerdotalis per se non ordinatur ad eligendum, vel ad alios actus capitulares, sed ad actus ordinis, in capitulis non præcedunt sacerdotes, neque Episcopi, si forte sint simul Canonici, sed eo ordine sedent, aut incedunt, quo venerunt in capitulum, aut acceperunt possessionem canonicatus. » Allegatur etiam pro hac opinione Resolutio S. C. Rit. a Gratiano *ubi supra*.

(66. Dissidentes nascere sententias (dubitanter tamen) conciliat Ferr. de Præbend. et Prælat. *Eccles.*, quæst. 10, sub num. 9, ibi: « Declaratio relata per Riccio loquitur in canonicatibus Ecclesiæ cathedralis, in quibus requiritur ordo sacer, ut supra dixi, ideo ad illum principaliter attenditur. Declaratio vero

(1) Poterat hic eruditissimus Additor, saltem ad eruditionem superaddere quæ ad rem, quamvis contra, tradit doctiss. Catalanus in Cæremoniali Episco-

a Gratiano relata ex ejus verbis loqui videtur in canonicatibus Ecclesiæ collegiatæ, etc. Ideo Canonicus collegialis major gradu, quamvis minor ordine, præfertur majori in ordine, et minori in gradu. »

(67. Hæc alia concilia placuit Gothofredo Diatrib. de jure præced., lib. 1, cap. 3, sub lit. A. ibi: « Prima declaratio procedit in Ecclesia, ubi præbendæ sunt distinctæ, secunda vero ubi præbendæ non sunt distinctæ. » Hanc ipsam conciliationem probavit etiam Novar. ad lib. 1, n. 7, c. de Consult. (1).

ARTICULUS VIII.

Canonici quoad perceptionem sacramentorum, et quoad funera et sepulturam.

(1. Canonicus Ecclesiæ cathedralis carentis canonica, sive ædibus canonicalibus, habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius parochiæ, tenetur in infirmitate recipere Sacramenta, non a parochia dictæ Ecclesiæ cathedralis, sed a parochia domicilii. Sic expresse decrevit Sac. Congr. Conc. 12 Maii 1685, in Tiburtina in responsione ad 1, ubi cum inter alia dubia fuerit quæsitum: « Primo, an Canonicus Ecclesiæ cathedralis carentis canonica, sive ædibus canonicalibus, habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius parochiæ, dicatur parochianus Ecclesiæ cathedralis, ita ut in infirmitate teneatur recipere Sacramenta a parochia Ecclesiæ cathedralis, vel potius a parochia domicilii; » Sac. Congr. in Tiburtina 12 Maii 1685 respondit: « Ad primum, teneri recipere a parochia domicilii. » Vide verb. *Parochus*, art. 3, num. 14. Et ratio est, qui quilibet tenetur recipere Sacramenta, præsertim Viatici, et Extremæ Unctionis, a proprio parochia, ut in Clement. 1 de *Privileg.*, atque proprius parochus est ille, in cujus parochia quis actu habitat, vel habet domicilium, juxta cap. *Is qui*, de *Sepulturis* in 6, et juxta Fagnanum in cap. *Significavit* 5 de *Parochiis*, et alienis parochianis, num. 27 et 32, ubi etiam num. 36 refert, hanc esse sententiam Sac. Congregat. Concilii in casibus contingentibus per Glossam in d. Clement. 1, de *Privileg.*, verb. *Parochialis*; et Abbas in cap. *Omnis utriusque sexus*, de *pœnit. et remiss.*, ubi testatur de communi. Et sic videtur decerni etiam in Sac. Conc. Trident., sess. 24, cap. 13 de *Reformat.*, ubi præcipitur Episcopis, « ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suæ perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant... non obstantibus quibuscunque privilegiis et consuetudinibus, etiam memorabilibus. »

(2. Nec obstat quod Ecclesia cathedralis dicatur parochia ipsius Canonici, imo et parochia communis totius diocesis. Nam est parochia communis, quando in ea Episcopus administrat Sacramenta, cum ipse sit parochus totius diocesis, non autem quando pa-

porum, Romæ impresso anno 1754, tom. 1, Præloquio ad lectorem, pag. 11, num. 12. Videatur ibi, ubi multa ad rem. (*Animadversio Auctoris.*)

rochus cathedralis illa administraret, quia cum sit tantum parochus cathedralis, extra illam et illius parochiam, nullam habet jurisdictionem, adeoque non potest administrare Sacramenta in alienis parochiis, ut expresse decrevit Sac. Cong. Concil., 20 Sept. 1628, apud Gavant., in *Manuali Episcop.*, verb. *Parochor.*, num. in addit. n. 2. Præterea est parochia communis iis, qui ad ipsam voluerint accedere pro recipiendis Sacramentis, ut notat Abb. in dict. cap. *Omnis utriusque sexus*, num. 2, de *pœnit. et remiss.* Guttier., *Can. qq.*, lib. 1, cap. 30, num. 12, non autem ad illa ministrandum in alienis parochiis, quibus sua jura debent illæsa conservari, ita exigente earum institutione, cum non sint confundenda, juxta cap. *Scriptum est* 1, caus. 6, quæst. 3, cap. *Nullus* 3, caus. 9, quæst. 2. Sic expresse Pignatell. t. VIII, cons. 5, n. 1, 2 et 3.

(3. Canonici ad funera intervenientes, si sint Canonici Ecclesiæ cathedralis, præcedunt nedum proprio parochia defuncti, etiamsi sit stola indutus, ut pluries declaravit Sacra Rituum Congregatio, et signanter in Viterbiensi, 25 Junii 1611, et in Aversana, 15 Septemb. 1640, sed etiam præcedunt Canonicis collegiatæ etiam in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius collegiatæ parochiæ, ut pluries declaravit Sac. Rituum Congregatio, et signanter in Prænestina Cavarum, 18 Augusti 1618, et in Leodien. Præcedentiæ, 10 Martii et 21 April. 1668. (4. Si autem sint Canonici Ecclesiarum collegiatarum, in funeribus præcedunt propriis parochis defunctorum. Sac. Congregat. Rit. in Sutrina, 30 Augusti 1602 et 2 Augusti 1603; in Meliten., 18 Novemb. 1606; in Ostiens., 18 Aprilis 1607; in Prænestina Cavarum, 14 Augusti 1618, ubi in causa præcedentiæ inter Archipresbyterum et Canonicos Collegiatæ Sanctæ Mariæ, et parochum S. Stephani declaratum fuit, « præcedentiam semper et ubique competere Archipresbytero, et Canonicis supra parochum prædictum, etiam in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius parochiæ, jus tamen faciendi officium circa corpus defuncti ad parochum in sua parochiali Ecclesia spectare. » Et idipsum diserte firmatum fuit a dicta Sac. Congregatione 14 Maii 1643, neque in associatione funerum, salva legitima loci consuetudine, deberi præcedentiam capitulo collegiatæ supra parochum, etiam proprium defuncti, sine tamen præjudicio in reliquis jurium, et præminentiarum eidem parochia de jure, vel consuetudine competentium. Et sic tenet Pignatell., tom. III, consult. 52, et Barbosa de *Canonicis*, cap. 18, num. 67 et 68, non obstante quod pro præcedentia parochorum supra collegiatam exstant etiam varia decreta Sac. Congreg. Rituum in Nucerna, 24 Octobris 1609; in una S. Angeli Terræ Saxiferati, eodem die et anno; in Prænestina, 13

(1) Decreta S. R. C. ab Auctore adducta ad probandam præcedentiam Canonicorum Collegiatarum supra Parochos in funerum associatione, et præsertim decretum in Prænestina Cavarum, die 14 Au-

Julii 1619; in Spoletana, 21 Aprilis 1635; in Laudensi, 23 Maii 1639 (1). (5. Canonici Ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ non possunt sociare cadavera ex alienis parochiis, sine proprio parochia. Sacra Rituum Congregatio in Novarien., 15 Januarii 1633; in Aversana, 15 Septembris 1640, ibi: « Eminentissimo Paleotto referente dubia pro parte parochorum civitatis Aversanæ, prædictis dubiis sic respondendum censuit: *Ad primum*: Vocato ad funus capitulo cathedralis, non aliam crucem quam ipsius capitulo deferendam esse. *Ad secundum*: Capitulo interveniente, ut supra proprium parochum defuncti, etiam quod sit stola indutus, incedere debere ante Canonicos cathedralis. *Ad tertium*: Ad solum parochum spectare aspergere aqua benedicta cadaver, antequam levetur de domo, et ad eundem pertinere intonare antiphonam: *Si iniquitates*, et officium super cadaver in sua Ecclesia peragere; die 15 Septembris 1640. » (6. Et iterum in Novariensi Vicario, ibi: « Rev. Pater. A parochis civitatis Novariæ supplicatum fuit Sacræ Congreg. juxta decreta alias lata declarari capitulum, et Canonicos Sancti Gaudentii non posse parochia inconsulto cadavera defunctorum ex ulla parochia levare, et ad unumquemque parochum spectare munus faciendi benedictionem super eadem cadavera, et illa aqua benedicta aspergendi, antiphonam: *Exsultabunt Domino*, intonandi, quando effertur cadaver, officium defunctorum peragendi, omniaque alia ad funus pertinentia. Eminentissimi vero patres eorum decretorum exemplar adjunctum tibi remitti voluerunt, cujus partes erunt illorum observantiam curare. In quo si aliqua difficultas orietur, mandabis ut in Sacra Congregatione jura deducantur, non suspensa tamen dictorum decretorum executione. Datum Romæ, 21 Septemb. 1651, Alexand. Card. Cappon. » Sic refert, et tenet Pignatell. tom. VI, consult. 59, n. 5 et 6. (7. Imo n. 8 dicit, quod ex ipsis probe colligitur, quod ad proprium parochum, non autem ad alios spectat peragere officium super cadaver in ejus propria domo, illudque aspergere aqua benedicta, intonare antiphonam, quando effertur, ac peragere omnes alias cæremonias funeris, ut speciatim ultra dispositionem Ritualis Romani tit. *Exsequiarum Ordo*, habentur quoque declarationes Sac. Congregationis Rituum in d. Aversana, 15 Sept. 1640; in d. Novarien., 21 Septembris 1651; in Pientina, 1 Martii 1646, et in ead., 2 Augusti 1637, in qua requisita fuit probatio memorabilis temporis ad firmandam contrariam consuetudinem.

(8. Unde, quando non adsit legitima in contrarium consuetudo, nemini neque Canonicis Ecclesiæ cathedralis licet levare de domo, et deferre cadavera ad sepulturam irrequisito proprio parochia, ut tenet etiam

gusti 1618, emanatum, corrigenda sunt per alia decreta, præcipue in alia Prænestina, die 15 Jul. 1619, quod decretum fuit revocatum præcedentis; unde videtur illi standum. (EDIT. VEN.)

Barbosa de *Offic. et potest. parochi*, part. III, c. 27, n. 66, dicens sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Rituum in Thelesina, 18 Augusti 1629, et expressius in Adrianensi, 29 Novemb. 1631, in respons. ad 1, ut refert, et tenet etiam Gavant. in *Manuali*, verb. *Exsequiæ*, in addit. num. 8, et Pitton. *Constit. ad parochos*, num. 493, et tenet Ugolin. *de Potest. episc.*, cap. 17, num. 3; Stephanus Gratian., t. III, cap. 402, a num. 19. (9. Quæ tamen Decreta citat in contrarium Samuel de *Sepulturis*, controvers. 5, ubi sic præcise habet: « Canonici Ecclesiæ cathedralis, quando est cadaver in eorum Ecclesia tumulandum, irrequisito proprio parochio liceat, et libere levare illud queunt de domo, aut Ecclesia parochiali, et ad matricem Ecclesiæ deferre. » Sic declaravit Sac. Rituum Congr. in Thelesina, 18 Augusti 1629, et in una Adrianensi, 29 Novembris 1631. Sacra autem Congreg. Conc. in Narnien. *Jurium Parochialium*, 26 Septembris 1699, apud Ursayam loc. cit. infra sub num. 14. « Resolvit a fortiori juxta primam sententiam Canonici decessum in domo propria asportandum esse ad cathedralem, requisito tamen parochio domicili. » (10. Capitulum non vocatum non potest, invitis hæredibus, lucrandi stipendii causa, funeribus interesse. Sacra Congregatio Conc. in Matheranen. loci Grotulæ, in qua propositis dubiis: Primo: an attenta consuetudine, cujus vigore capitulum expensas funerum pro ratione personarum defunctorum taxare solet, sit locus, certam, ac perpetuam taxam pro funeribus quibuscunque præscribendi. Secundo: an capitulum, quamvis non vocatum, possit invitis hæredibus lucrandi stipendii causa funeribus interesse? « Die 12 Novembris 1660, Sac. Congr. secundum ea, quæ narrantur, censuit: Ad primum licere capitulo taxam ad suum libitum facere, et Archiepiscopo injungendum, ut ipse auditis partibus taxam conficiat, eamque Sac. Congr. probandam transmittat. » Ad secundum: « censuit non posse. » Quam declarationem confirmavit in Lavellen., in qua cum communitas instetisset, ut prohiberetur capitulo, et Episcopo intervenire funeralibus invitis hæredibus, et decerneretur, quod taxa non penderet ab ipsorum arbitrio, « die 16 Junii 1668, Sacra Congr. audita relatione Episcopi Lavellen. inhærendo declarationi ejusdem Sacræ Congregationis in Matheranen. sub die 13 Novembris 1660, emanatæ, censuit non posse funeralibus invitis hæredibus interesse, nec licere taxam ad suum libitum facere, sed eidem Episcopo injungendum, prout injungit, ut auditis partibus taxam conficiat, eamque Sac. Congr. probandam transmittat. »

(11. Canonici cathedralis Ecclesiæ decedentes non electa sibi sepultura debent sepeliri in Ecclesia cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonici. Si vero in cathedrali non adsit sepulcrum proprium ipsorum, debent sepeliri in sepulcro majorum. Sac. Congregatio Concilii, 12 Maii 1685, in Tiburtina in responsione ad secundum, ubi ad secundum dubium, quod erat: « An idem Ca-

nonicus decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in Ecclesia cathedrali tanquam sua Parochia, vel in Parochia domicili, vel potius in sepulcro suorum majorum? die 12 Maii 1685 respondit, ad secundum in cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonici: sin minus in sepulcro majorum; iis vero non existentibus, an cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia cathedrali, vel parochiali, in alia congr. videndum. » Et sic etiam decrevit eadem Sacra Congr. Episc. in Foresempr. 1 Septemb. 1690, quod nempe clerici debent sepeliri in cathedrali, etiam sepultura non electa, si adest sepulcrum clericorum, ut Rituale disposuit, non obstante quod in alia Ecclesia adsit sepulcrum majorum, uti jam decreverat in Senogallien, die 13 Maii 1650, apud Nicol. tom. I, *Lucubr. civil.* lib. IV, tit. XV, num. 23, vers. ultim., ibi: « Clericus non sepelitur in sepulcro majorum, quando in cathedrali, vel matrice adest proprium clericorum sepulcrum a laicalibus separatum. » (12. Et quamvis recenter in alia Senogallien, die 9 Maii 1705, Sacra Congreg. Rituum declaraverit quod quidam clericus defunctus, qui sibi non elegerat sepulturam, sepeliri deberet in sepulcro majorum, et non clericorum; tamen videtur, quod standum sit primis citatis decretis Sac. Congregat. Episcoporum, quia, ut recte observat Monacell., tom. IV supplem. ad tom. I, num. 176, agit non de ritu sepeliendi, sed de jure funerandi, quod declarare, ad quem spectat, potius ad Sacram Congreg. Episc. et Regul. quam Rituum noscitur pertinere, ex bulla erectionis Sixti V incip. *Immensa*, § *Jam vero*; tum quia sicuti laicis decedentibus non electa sepultura provisum fuit a jure in c. *Licet* 4, de *Sepulturis* in 6, ut sepeliri debeant, in sepulcro majorum; ita clericis sic decedentes, ut in sepulcro clericorum in cathedrali, vel matrice Ecclesia construendo, sive sint intitulati, sive non, sepeliri debeant, statuitur in Rituali Romano auctoritate apostolica Pauli V, constit. 85, confirmato et evulgato, quod pro lege servandum est. Pax Jord. t. III, lib. XIV, tit. XXX, num. 45, et cum aliis Monacell. cit. tom. IV, supplem. ad tom. I, num. 176. (13. Requiritur autem, quod in cathedrali exstet sepultura pro Canonici, et aliis clericis specialiter constructa, et deputata, alioquin Canonici, et Clerici sepeliendi erunt in sepulcro Majorum. Ecclesia vero parochialis succedit tantum in defectum electionis sepulturæ, sepulcri communis Canonici in Ecclesia cathedrali, et sepulcri majorum, ita ut Ecclesia parochialis sit ultima, juxta ordinem adductum per textum in cap. *Nos instituta* 1, de *Sepulturis*, ut dicit Pignat. tom. VIII, consultat. 6, num. 4. Attamen Sacra Congregatio in d. Tiburtina nihil decrevit circa dubium: An non existentibus sepulcro proprio Canonici in cathedrali, vel sepulcro suorum majorum sint Canonici sepeliendi in cathedrali, vel in parochiali; ibi in respons. ad secundum, « iis vero non existentibus, an cadaver Ca-

nonici sit sepeliendum in Ecclesia cathedrali, vel parochiali in alia congreg. videndum. » (14. Pro sepultura Canonici cathedralium debetur quarta funeralis parochio domicili, non vero parochio cathed., neque parochio parochiæ, ubi adest sepultura suorum majorum. Sac. Cong. Concil., in d. Tiburtina, in resp. ad 3. Quæ decisio, ut ab omnibus præ oculis haberi possit, ponitur hic cum suis propositis dubiis per extensum:

Primo: « An Canonici Ecclesiæ cathedralis carentis canonica, sive ædibus Canonicalibus, habens domicilium, et actu habitans intra fines alterius parochiæ, dicatur parochianus Ecclesiæ cathedralis, ita ut in infirmitate teneatur recipere Sacramenta a parochio Ecclesiæ cathedralis, vel potius a parochio domicili. »

Secundo: « An idem Canonici decedens non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in Ecclesia cathedrali, tanquam sua parochia, vel in parochia domicili, vel potius in sepulcro suorum majorum. »

Tertio: « An pro sepultura Canonici, ut supra defuncti, debeat quarta funeralis parochio domicili, aut parochio cathedralis, vel parochio parochiæ suorum majorum? »

Sac. Congr. Concil. in Tiburtin., 12 Maii 1685, censuit:

Ad Primum: « Teneri recipere a parochio domicili. »

Ad Secundum: « In cathedrali, si in ea adsit sepulcrum proprium Canonici; sin minus in sepulcro majorum; iis vero non existentibus, an cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia cathedrali, vel in parochiali, in alia Congregatione videndum. »

Ad Tertium: « Deberi parochio domicili. »

Et sic etiam decrevit Sacra Congregatio Concilii in Narnien. *Jurium Parochialium* 26 Septembr. 1699, ad 2, 3 et 5 dubia, lib. XLIX, Decret. fol. 253, teste D. Ursaya *Institut. crimin.* lib. III, tit. VIII, num. 15 et 16.

(15. Si intervenerit funeribus capitulum Ecclesiæ cathedralis, in hoc casu Curatus, et Sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere parochio defuncti. Sacra Congreg. Rit. 22 Martii 1631, apud Barbosam de *Potest. Parochi*, part. III, cap. 27, num. 78.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. Tametsi Sacra Congreg. Concilii interpres in allegata ab auctore Tiburtina, 12 Maii 1685, in responsione ad 1, dubium fuerit in sensu, quod Canonici domicili habens in aliena parochia non a parochio cathedralis, sed a parochio domicili Sacramenta in ultima infirmitate recipere teneatur; contrarium videtur rescripsisse in Derthonen. *Jurium Parochialium*, 3 Decembr. 1718. (17. In hac enim causa hoc inter alia dubia propositum: « An Canonici Ecclesiæ collegiatae, habitans in domo sita intra fines alterius Parochiæ in ultima infirmitate teneatur recipere Sacramenta ab Ecclesiæ collegiata, vel potius a Parochio domicili? » rescriptum fuit: *Affirmative* quoad primam partem; *Negative* quoad secundam.

(18. Verum est, quod denuo hac ipsa causa proposita die 7. Decembris 1720, responsum fuit: « Examinandos esse testes formiter. » At ex responso hoc quisque facili negotio intelligere potest, Sacram Congregationem Concilii interpretem veram in puncto juris existimasse resolutionem captam die 3 Decembris 1718, quod Canonici ubicunque habitans Sacramenta in ultima infirmitate recipere teneatur a sua Ecclesia, solumque autumasse locum esse posse limitationi dictæ propositionis ex contraria consuetudine, ideoque demandavit examinandos esse testes formiter, alias enim sine ullo testium examine recessisset a *decisis*.

(19. Hic igitur fuit ultimus sensus Sacræ Congregationis Concilii interpretis in hac controversia. At Sacra Congregatio Rituum novissime censuit, Canonici in aliena Parochia habitantem, non a parochio cathedralis, sed a parochio domicili teneri in ultima infirmitate recipere Sacramenta, ut patet ex responsione data in S. Severini Præminentiarum, 13 Martii 1756, ad 7 dubium, et in *decisis* perstitit in nova propositione causæ habita de mense Decembris ejusdem anni 1756, licet allegata fuerit d. resolutio Sac. Congregationis Concilii interpretis in d. Derthonen.

(20. Illud non est hic prætereundum, quod eadem Sac. Congregatio Rituum, in responsione ab dub. 11, censuit Canonicos etiam habentes domicilium in aliena parochia sepeliendos esse in Ecclesia cathedrali, solutis tamen juribus parochialibus parochio domicili. Et quod summopere notandum est, in casu illo non constabat, quod in Ecclesia cathedrali aderat sepulcrum pro Canonici. Vide quoque conformes decisiones Rotæ in Romana juris tumulandi, 20 Februar. 1702, § *Nonnulla*, et § *Prædicta*, et in confirmatoria, 6 Maii 1703, § *Præcedenti*, cor. clar. mem. Priol. in Gerunden. *Juris sepeliendi*, 8 Martii 1735, § *Quantum*, cor. clar. mem. Cincio. et in Barchinonen. *Jurium Parochialium*, 2 Decembr. 1735. *Demum*, cor. Eminentiss. Rezzonico.

(21. At si jus sepeliendi Canonici ubicunque domicilium habentes inde favore Ecclesiæ cathedralis oritur, quod Canonici perpetuo manent ejus parochiani, et Sacramenta omnia ab ipsa recipiant, ut disserunt Reiffenstuel in *Jus Canon.* lib. III, tit. XVIII, num. 24, Schmalzgrueb. *Jur. Eccles. univ.* lib. III, part. III, tit. XVIII, § 5, num. 47. Louvrex *Dissert. canon.* 23, num. 17. Amstaz. *de Causis piis*, lib. IX, cap. 2, n. 50; non videtur congruere, quod Sacramenta recipere ii in ultima infirmitate debeant a parochio domicili.

ARTICULUS IX.

De variis concernentibus Canonici theologum, penitentiarium, protonotarium, et jubilatam.

(1. Canonici theologus debet deputari in omnibus Ecclesiis metropolitanis vel cathedralibus, si civitas sit insignis, vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo